

<INCIPIIT PRO FLACCO.>

... <subscri>bentibus L. Balbo et Apuleio Deciano, quos § 2.
vult obtrectatores intellegi invidos gloriae huius Valerii
Flacci magisque cupientes destruere virtutem quam ullum
5 crimen ostendere; quorum personas onerat invidia, quasi
nihil aliud adfectent quam coniurationem illam Catilinae,
quae hoc adiutore oppressa sit, vindicare.

Si umquam res p. consilium, gravitatem, § 3.
sapientiam iudicum imploravit, hoc, hoc, in-
10 quam, tempore inplorat.

... Vehementer congeminavit, ut attentiores animos
iudicum faceret, quo magis universae rei p. providerent,
ne bene meritis civibus virtus sua non gratiam praemii
sed materiam periculi compararet. Est ergo ... invigilari
15 oportere, ne omnes, quicumque rei p. profuerunt, simili-
bus calumniae periculis opterantur. Iam enim coeperat
invidiosus consulatus esse Ciceronis aegre ferentibus
plerisque quod indemnatos cives R. iussisset in carcere
strangulari.

20 Non estis de Lydorum aut Mysorum aut Fry-
gum, qui huc corrupti concitatique venerunt,
set de vestra re p. iudicaturi.

Haec omnia congegit eo studio, quo et illos de-
strueret, qui accusabant Flaccum, et omnem diligentiam
25 iudicum ad utilitatem rei p. flecteret. Nam quo magis in
planum deducerentur, qui accusabant, non dixit Asiam
provinciam, sed diduxit in species nationum barbararum, ut
Lydos et Mysos et Frygas diceret: et vocabula ipsa quen-
dam impetum barbariae ferocientis ostentant. Nec suffecit
30 hoc modo auctoritatem destruxisse; adiecit etiam illud